

clesiastici eodem Titulo, & proedria gaudeant, qua Catholici. Art. 5. §. 22.

II. Quod Principes Catholici tam Sæculares, quam Ecclesiastici, intra fines territorii sui æque *Jus Diocesatum & reformandi* exercere possint in Subditos Protestantes, aut Principes Augustanæ Confessionis in Subditos Catholicos. Art. 5. §. 30. & 45. Art. 8. §. 1.

III. Quod in Camera Imperiali, & in Judicio Cæsareo Aulico tam Causæ Ecclesiasticæ, quam Politicæ, quæ inter Catholicos, & Protestantes Status, vel inter hos solos vertuntur, adlectis ex utraq; Religione *pari numero* Assessoribus, discutiantur, & judicentur. Art. 20. §. 53. Numerus tamen Assessorum dispar est. Catholicorum quippe sunt præter Judicem Cameræ, & Præsidentem 26. Protestantium 14. In Judicio Aulico pauciores sunt Confessioni Augustanæ addicti.

IV. Quod Imperator æque protegere debeat Jura Protestantium, ac Catholicorum.

V. Quod Matrimonia Protestantium habenda sunt pro veris, filii pro legitimis, nec obreantur hærescos avitæ filio Catholico facti via præcludi possit ad Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica.

365. Contra hanc pacem Innocentius X. P. M. in Bulla, quæ incipit: *Zelo domus Dei*, &c. solemnissime protestatus est; at ex suo tenore, atque Imperatorum confirmatione perpetua est, ejusque valorem Germano impugnare haud licet. Prima pars hujus asserti constat ex cit. Bulla Innocentii X. ubi ita habetur: *Alterius, seu utriusque pacis hujusmodi articulos, ceteraque in dictis instrumentis contenta, quæ Catholica Religioni, Divino Cultui, animarum saluti, eidem Sedi Apostolica Romane, & inferioribus Ecclesiis, ac*

*Ordini, & Statui Ecclesiastico, illorumque Personis, membris, rebus, bonis, Jurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, Privilegiis, Prærogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officium, seu præjudicium etiam minimum asserunt, aut inferre, seu intulisse, & alias nocere, aut nocuisse quoquo modo dici, intelligi, prætendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis, & quodcumque sequendis, ipso Jure nulla, irrita, invalida; iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque & effectu vacua omnino fuisse, esse, & perpetuo fore; neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiam si juramento vallata sint, observantiam tenori, &c. &c. Secunda pars constat legenti ejusdem pacis Articulum I. & V. Tertiam, & quartam habemus ex novissima Capitulatione FRANCISCI I. Rom. Imp. semper Augusti, feliciter regnantis, in cuius Art. II. N. II. Supremus Monarcha spondet se custoditurum Pacem Religiosam, juxta quod A. 1656. Augustæ Vindelicorum, & in aliis Dietis Imperii confirmata est, sicut & tractatus Monasteriensem, & Osnabrugensem: & N. VI. se rejecturum, & annullaturum conformiter dicto tractatui omnes *Protestationes, & oppositiones factas contra eundem tractatum, cujuscumque nominis essent, & à quocumque provenire possent, utpote jam diu rejectas, & annullatas: atque dignitum illos, qui attentaverint scribere, aut publicare tractatus impressos contra utramque Pacem. Quæ pro coronide hujus opellæ in gratiam Alamanicæ Juventutis ex intrumento Sacerdotii & Imperii circa Pacem Religiosam, & Westphalicam adduco, & calammum excutio.**

Laus Deo. Honor Virgini.

TITULUS VI.

De Electione, & Electi Potestate.

Præsentem Titulum in 4. §. secabimus. Primus aget de electione Episcoporum, alter de electi. Rom. Pontific. Tertius de confirmatione, quartus de Ordinatione Episcoporum.

§. I.

De electione Episcoporum.

1. Electio hic non sumitur pro quacumque provisione ad Beneficium Ecclesiasticum, quomodo comprehendit præsentationem, collationem, &c. nec pro quacumque provisione, quæ fit cum intervenitu suffragiorum, quo modo alicubi Decani, & alii Officiales solent eligi: sed strictè pro provisione suffragativa ad Dignitatem Pastoralem vacantis Ecclesiæ, quo sensu Electio est: *Personæ habilis Canonica vocatio ad vacantis Ecclesiæ Dignitatem Pastoralem per vota Capitularium facta, & per Superiorem confirmanda.* Ita in re communiter sentiunt Canonistæ ex c. 7. & 42. h. t. Ex quo patet, quod ille, qui Dignitatem Pastoralem non adipiscitur per vota Capitularium, juxta modernam disciplinam non censetur ad Dignitatem illam electus, sed alia via promotus.

2. Pragmatica Sæctione à Christo institutum est, neminem vel ad minimum Sacerdotalis Officii gradum venire debere, nisi vocatum, & justum. Ad Hebr. 5. v. 5. & 6. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.

3. Hinc ex ejusdem Salvatoris Discipulis duodecim ad munus Apostolatus, & septuaginta ad munus prædicationis non

se ipsos ingererunt; sed à Christo electi sunt. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui, ut eatis, & fructum asferatis.* Joan. 15. v. 16.

4. Hæc Pragmatica Christi Sæctione post ejus ad caelos ascensum sanctè observata est ab Apostolis. Ita Actor. 1. Matthias Episcopatum prævaricatoris Judæ electione accepit. Sic Actor. item 6. septem Diaconi ad ministerium non profanum, sed sacrum electi sunt.

5. Illa tamen Sæctione modus eligendi Ecclesiæ Ministris individuè determinatus haud est, sed Ecclesiæ judicio relictus.

Id exempla evincunt. Nam Apostoli immediate à Christo electi sunt. Matthias ab Apostolis & Discipulis per sortem. Per suffragia septem Diaconi. In Ecclesiâ nunc electio fuit penes solos provinciales Episcopos, nunc penes Clerum, nunc penes Episcopos, Clerum, & Populum simul; quandoque devoluta est ad Capitula, subinde solo Romano Pontifici reservata; aliquando Principibus Laicis concessa, quemadmodum ex progressu constabit.

6. Dignitates, ad quas in Hierarchia Ecclesiastica proprie eliguntur Personæ habiles, sunt, Papatu, Patriarchatus, Exarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus.

Papæ nomine, quo olim etiam simplices Episcopi veniebant, hodie autonomaticè intelligitur is, qui Jure divino, & ex Christi institutione est Primus totius Ecclesiæ, & ejusdem Salvatoris in terris Vicarius, nec non Ecclesiasticæ Hierarchiæ Caput visibile. Cujus proinde Jurisdictio spiritualis ad universum Orbem se extendit.

Patriarchæ nomine hodie venit is, qui pluribus præest Provinciis, pluresque Archiepiscopus habet subordinatos. Officia

& Privilegia Patriarcharum ante Nicenam Synodum A. 325. & quidem ex antiqua consuetudine in usu erant, non item nomina; in Synodo siquidem illa Canone 6. vocantur Episcopi. Etas subseqvens Exarchos Dioeceseos (quo nomine tum plures Provinciae complectebantur) appellavit, ac demum saeculi V. medio circa tempus Chalcedonenfis Concilii Patriarchae dicti sunt. Tres in praefato Niceno Canone enumerantur Patriarchae, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, quibus subinde accesserunt Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, & hodie plures. Illorum privilegia Synodus Nicæna praefato Canone obcurius, apertius octava A. C. 869. Canone 17. declaravit; nempe, ut Praefules ejusmodi universi sibi subiectis Metropolitanis, sive per manus impositionem, sive per dispensationem Pallii Episcopalis Dignitatis firmitatem tribuant; & ad convocandos eos, urgente necessitate, in Synodicos Conventus potestatem habeant; executionem Canonum in Provinciis suae Dioecesi subiectis procurent; demum in majoribus causis iudicium ferant.

Exarchi nomine olim veniebat is Episcopus, qui Metropolitanis superior, Patriarchis dignitate inferior existit: quorum tamen jurisdictioni non semper suberant. Tres fuerunt in Orientali Ecclesia spectatissimi, videlicet, Ephesus in Asia, Caesareensis Cappadociae in Ponto, & Heraclensis in Thracia; horum enim Dioeceses junctae cum Orientali, cujus Caput erat Antiochia, & Aegyptiaca, cujus Princeps fuit Alexandria, efficiebant quinque famosas Provincias, quae in Civilibus parebant Praefecto Praetorio Orientis. Hos Autocephalos, seu à Patriarcharum Antiochiae & Alexandriae Jurisdictione independentes, Exarchos procul dubio intellegere Nicæni Patres Canone sexto saepe laudato, dum ajunt: *Similiter apud Antiochiam, & ceteras Provincias privilegia serventur Ecclesiis.* Synodus quoque I. Constantinopolitana A. C. 381. tres hos

Exarchos post Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas nominat. Brevis tamen eorum fuit autoritas; siquidem Constantinopolitano Patriarchatu saeculo V. instituto, & firmato, illorum autocephalia desit; sub ipsius tamen Jurisdictione eximii fruebantur honoribus, & in Conciliis Œcumenicis post quinque majores Patriarchas sedebant: cum quibus, dum facta testia adhuc ipsis esset independentia; in Privilegiis supra enumeratis respectu suarum Dioeceseon communicabant.

Primatis nomen variis Ecclesiae saeculis fixum determinatumque ita non fuit, ac Patriarcharum. Initio dicebantur idem, ac qui tum Exarchi, tum Patriarchae; ii nempe, qui nulli suberant alii seu Exarcho, seu Patriarchae, aliis vero Metropolitanis praerant. Apud Afros non erat tam lata Primatis significatio; Metropolitanis enim quique illis Primates erant, nec haec Dignitas Sedi alicui erat affixa; sed qui ordinatione erat antiquior, is jam Primas dici incipiebat. A qua tamen lege Carthaginensis Praeful eximebatur; eo quod huic Ecclesiae, ut alibi extra Africam, haec Dignitas esset affixa. Imo in reliquo Occidente Primatis nomen omnibus fuit Metropolitanis commune ad VI. & VII. usque saeculum, & ipsum Jus Metropolitanicum Primatus appellabatur. Cæpere tamen Hispani nomen Primatis ad eos restringere, quos Graeci dicebant Exarchos, seu qui pluribus praerant Metropolitanis; illaque illius nominis significatio reliquum pertransiit Occidentem. Nulli autem in Occidente jurisdictionalis haec autoritas, nomenque obigit, nisi cui suas vices, autoritatemque Summus Pontifex, qua Occidentis Patriarcha, delegaret; ut proinde Primas idem esset ac Romanae Sedis Delegatus & Vicarius. Quae idcirco Dignitas aliquando Personis, aliquando ipsis Sedibus fuit affixa. Quorum officium fuit, curare, ut ab omnibus servarentur Canones; tum dicere Jus iis Episcopis, ac Provinciis, ad quas demandata eorum potestas porrigebatur.

Præ-

Præter istos primi ordinis Primates, erant, ex Hincmaro, adhuc alii secundi quodammodo sublelli, ii nempe, qui ut nullos infra se, ita nec ullos supra se habebant Metropolitanis, nulloque interjecto medio pendebant ab ipso Romano Pontifice. Vide Thomaſinum de Ver. & Novæ Ecclesiæ p. 1. l. 1. variis capitibus fute de hoc disserentem.

Metropolitani, seu Archiepiscopi dicebantur ii, quorum Sedes erat in Metropoli alicujus Provinciae Romani Imperii. Jam Saeculo IV. in qualibet Provincia Metropolitanus praesidebat. Estque haec Dignitas ab ipsis Apostolis instituta, qui primas Ecclesias in Provinciarum Metropolitanis, seu primariis Civitatibus fundarunt. Eorum autoritas ex Monumentis Ecclesiasticis Saeculi IV. maxime eluceſcit, videlicet ex Can. 9. Laodiceni, Can. 4. Nicæni, Can. 9. Sardicenis, & demum 9. Antiocheni Concilii, qui ita habet: *Episcopos, qui sunt in unaquaque Provincia, scire oportet, Episcopum, qui praest Metropoli, etiam curam suscipere totius Provinciae: eo quod in Metropoli undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia, &c.* Eorum Jura ex monumentis ejusdem Saeculi IV. & posteriorum praecipua fuerunt: Suffraganeos Episcopos ordinare; convocare Concilia Provincialia, & eis praesidere; visitare omnes Provinciarum suarum Ecclesias; Episcopos sibi subditos judicare cum Provinciae Synodo; Clericorum etiam inferiorum causas cognoscere, si ab Episcoporum suorum Judicio appellarent; literas formatas concedere; Suffraganeis suis ad comitatum Imperatoris, aut alio extra Provinciam pergentibus, invigilare; denique ut Canones ab illis serventur ad amulſim.

Quamvis & Patriarchae & Metropolitanæ potestates Ordinis non sint nisi Episcopis; Episcopi tamen antonomastice dicuntur ii, qui sub Metropoli uni Dioeceli superintendunt. Episcopos Saeculo IV. habebant majores quoque Civitates, eoque tempore

frequentibus decretis prohibuit fuit, ne in agris, Villulis, aut modicis Civitatibus constituerent Episcopi. Videlicet Can. 57. Concilii Laodiceni, Can. 6. Sardicenis, &c. Praecipua eorum Jura sunt, Clerum Dioecesanum ordinare; convocare Concilia Dioecesana, eisque praesidere; visitare suae Dioecesis Ecclesias; Cleri Dioecesani causas cognoscere; iidem literas dimissoriales dare; invigilare denique ut Canones in Dioeceli observentur, &c.

7. Ad horum omnium electionem primas Ecclesiae Saeculis in utraque Ecclesia concurrentebant Episcopi Comprovinciales, Clerus, & Populus.

S. Cyprianus Saeculo III. florens ep. 68. editionis Rigaltii: *Propter quod, inquit, diligenter de Traditione Divina & Apostolica observatione observandum est, & tenendum, quod apud nos quoque & fere per Provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam Plebem, cui Praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciae praesentem, & Episcopus eligatur Plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime perspexit. Eadem disciplina in variis Conciliis primorum Ecclesiae Saeculorum facta testia servata est: inter quae Can. 1. Carthaginensis IV. A. C. 398. ita habet: *Cum (eligendus) in his omnibus examinatus inventus fuerit plene instruitus, cum consensu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciae Episcoporum, maximeque Metropolitanis vel auctoritate, vel praesentia ordinetur Episcopus.* Et ita, teste Cypriano ep. 52. in Latina Ecclesia electus est Cornelius Papa. In Graeca vero Stephanus Episcopus Ephesinus hoc modo se canonicè electum testatur in Chalced. Synodo A. C. 451. Act. 2. &c. &c.*

8. Hic tamen modus eligendi ipsis primas Ecclesiae Saeculis non erat universalis. Alexandria à Marco usque ad Heraclium

elam & Dionysium, seu ab A. C. 43. usque ad A. 265. Presbyteri semper unum esse electum, in excellentiori gradu collocatum, Episcopum nominabant, teste Hieronymo ep. 85. ad Evagrium.

9. Ex Episcopis Comprovincialibus tres de necessitate debebant interesse electioni Episcopi: reliquis, qui ob necessitatem vel itineris longitudinem impediabantur, pari modo decernentibus, & per scripta consentientibus.

Canon 4. Concilii Niceni A. C. 325. ita habet ex versione Dionysii: *Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt in Provincia, ordinari; si autem hoc difficile fuerit, vel propter urgentem necessitatem, vel via longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, & absentibus pari modo deseruentibus, & per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur.* Id est, electio, ut res ipsa loquitur, & 10. *Cherotomias enekan*, quod tum electionem, tum ordinationem exprimit, patitur. Quomodo enim absentes Episcopi ad ordinationem concurrissent?

10. Vigente illa disciplina soli Episcopi habebant suffragia electiva; Clerus vero, & Populus tantum postulativa, & informativa.

Perpendatur Canon 4. Concilii Niceni mox relatus.

S. Athan. Saeculo IV. florens ep. ad omnes Orthodoxos Gregorii invasionem in Sedem Alexandrinam inter cetera ex eo probat, quod ejus electio peracta non fuerit *juxta Canones Ecclesiasticos, & Pauli dictum, congregatis Populis cum Spiritu constitutum, cum D. N. J. C. Potestate Populis & Clericis, qui poscerent, presentibus.* En Episcopos constituentes, Clericos & Populum poscentes. Et S. Cyprianus rel. N. 7. eadem ep. inquit: *Exemplum consecrationis Eleazari filii Aaron ostendit, ordinationes Sacerdotales non nisi sub Populi assistentia conscientia fieri oportere: ut eo presente, vel detegantur motu*

rum crimina, vel honorum merita praedicentur.

11. Jus suffragii postulativi & informativi non competeat Populo Jure Divino, sed Ecclesiastico.

Alias enim ab electione nunquam excludi potuisset; cum Jus divinum mutationem per Ecclesiam subire nequeat; contrarium tamen factum esse tam vetus, quam media ac posterior haec disciplina testatur. Nec obest auctoritas Cypriani N. 7. relata; nil enim aliud vult, quam modum eligendi Ecclesiae Praesulem praesente Plebe exemplis ÷ Divinis Scripturis, electionis nimirum Eleazari in veteri, & septem Diaconorum in novo Testamento, esse comprobatum.

Quantum ad 2. partem ad auctoritates N. 7. & 10. relatas, accedit testimonium Cypr. ep. rel. in qua ait: *Quando ipsa (Plebs) maxime habeat potestatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recusandi.* Item Siricii Papae Saeculo IV. sedentis, & ep. ad Himerium Tarraconensem docentis, *Diacono Presbyterium aut Episcopatum dari, si eum Cleri, & Plebis evocaverit electio.*

12. Hinc suffragia Cleri, Plebisque nullum jus ad rem dabant sic electo.

Cum enim juxta dicta N. 10. illorum vota fuerint solummodo postulativa & informativa, Episcopi ipsilem non obligabantur; sed poterant, relicto illo, etsi digno, alium aequè dignum in Episcopum eligere. Unde Coelestinus I. Saeculi V. initio ad Episcopos Apuliae & Calabriae ita scribit: *Docendus est Populus, non sequendus. Nosque eos, quid liceat, quid non liceat, commonere, non his consensum praebere debemus.* Dist. 62. c. 2. Quia tamen voluntati desiderioque Populi non consentire difficile erat, & inivitis ac reluctantis Pastorem dare infaustus non raro pariebat exitus; hinc multum solliciti fuerunt Episcopi, ut Populus instrueretur, atque ad postulandum idoneum induceretur, quemadmodum innotuit relata Coelestini epistola.

13. Nihilominus Suffragia Cleri, Populique, vigente illa disciplina, videntur regulariter necessario procedere debuisse institutionem Canonice Episcoporum.

Ex horum enim defectu Ath. N. 10. Gregorii in Sedem Alexandrinam electionem probat nullam. Et Coelestinus I. decernit: *Ut nullus inivitis detur Episcopus; Cleri, Plebis, & Ordinis consensus, & desiderium requiratur.* S. Leo Saeculo V. ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribit: *Cum ergo de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus praeparatur, quem Cleri, Plebisque consensus concorditer postulaverit; ita, ut si in aliam forte personam partium se vota diviserint, Metropolitanis judicio is alteri praeparatur, qui majoribus & studiis juvatur, & meritis, tantum ne ullus inivitis, & non petentibus ordinetur.* Et infra: *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sint electi, nec à Plebe expetiti, nec à Provincialibus cum Metropolitanis judicio consecrati.*

14. Hoc Jus suffragandi Clericis, Laicisque non est ablatum Can. 4. Concilii Niceni, Can. 13. Laodiceni, aut Canonibus 19. & 23. Antiocheni Saeculo IV. celebratorum.

Canon enim 13. Laodicenus turbas solummodo ab electione excludit; vultque non esse deferendum plebi tumultuanti, ac per speciem quandam seditionis ordinationem alicujus acclamanti; qualem pulchre ac late describit S. Augustinus ep. ad Albanum. Reliqui vero cum Clericos, Laicosque ab electione positive non excludant, solum innuunt, Episcoporum Comprovincialium ac Metropolitanis praecipuis in ea partes esse. Quod praxis utriusque Ecclesiae illa aetate confirmat.

15. Invaluit nihilominus post haec Concilia in Ecclesia Orientali mos, ut Episcopi Comprovinciales, excluso Clero & Populo, Pastores Ecclesiae eligerent.

Hoc enim modo Epiphanius Salamini Cypr. & Basilium Caesareae Episcopos electos tradunt, qui eorum vitas conscripserunt; & eo spectare videtur Basilium ipse, dum ep. 194. ad Nicopolitanos scribit: *Episcoporum partes esse Populo Episcopum dare, Populi datum suscipere.*

16. Saeculi VI. initio Plebs exclusa fuit ab electione, Clericis & Primoribus Civitatum tantum admisis.

Novella enim 123. Justiniani Imperatoris cap. 1. sancit: *Quoties opus fuerit Episcopum ordinari, Clericos & Primates Civitatis, cujus futurus est Episcopus ordinari, mox in tribus Personis decreta facere, &c.*

17. Post medium IX. Saeculi Laici ab electione Episcoporum prorsus exclusi sunt.

Id sancivit Synodus Generalis VIII. Constantinopoli A. C. 869. celebrata, Canone 22. *Promotiones, atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, ac decreto Episcoporum Collegii fieri, & sancta haec & universalis Synodus definit & statuit; atque jure promulgat, neminem Laicorum Principum vel Potentum semet inserere electioni Patriarchae vel Metropolitanis, aut cuiuslibet Episcopi, — cum nullam in talibus potestatem quemquam Potestativorum, vel ceterorum Laicorum habere conveniat; sed potius silere, ac attendere sibi; usquequo regulariter à Collegio Ecclesiastico suscipiat sinem electio futuri Pontificis. Si vero quis Laicorum ad concertandum, & cooperandum ab Ecclesia invitatur, licet hujusmodi cum reverentia, si forte voluerit, obtemperare se assensentibus.*

18. Disciplina hoc Canone sancita prius in Oriente, quam in Occidente executioni mandata est; ibique Clerus citius, quam hic ab electione exclusus est.

Assertit veritas quantum ad Ecclesiam Graecam patet ex Balsamone; qui de Gregorio & Orientalium moribus Saeculo XI. & XII. quo senescente ipse vivebat, testatur, electiones Episcoporum à solis frequen-

quantari Episcopis, eumque usum sua aetate jam *inveterat* dicit; quamvis, iudice Thomasio, in historia parum versatus. Vir ille grandis, in morem illum male augeretur ad temporibus Concilii Nicæni; cum contrarium testetur & Historia Ecclesiastica, & Novella 123. Justiniani mox relata, quantum ad Ecclesiam Latinam, electiones Episcoporum libris Cleri, Populi, que suffragis ad finem sæculi XI. factas fuisse, testantur abunde epistola Gregorii VII. Imo sæculo XII. eundem morem adhuc vixisse in Ecclesia Latina non obscure colligitur ex S. Bernardo ep. 13. in qua inquit, electionem Episcoporum Cabilonensis, & Gebennensis peractas fuisse cum consensu Populi.

19. Antiquata penitus, veteri hac eligendi Episcopos cum Cleri, Populi, que suffragis, disciplina, Jus electionis Episcopi in Ecclesia Græca sæculo XI. privative transit ad Episcopos, in Latina vero sæculo XIII. ad Capitula.

Quantum ad 1. partem expenditur testimonium Balsamonis N. præcedenti relatum.

Quantum ad secundam hæc nova disciplina, teste Espenio, coepit sæculo XII. at fallitur; cum ex apertis testimoniis Ditmari Merseburgensis Lib. 2. & 4. Chronici constat, tempore Ottonum, seu ad finem sæculi X. & XI. initium Capitula Magdeburgense, & Halberstadense jus eligendi habuisse. Id certum est, circa initium sæculi XIII. hanc disciplinam stabilitam fuisse; id enim Epistola & Responso Innocentii III. & sequentium Pontificum, Decretalibus Gregorii IX. inserta, loquuntur. Quin jus istud electionis tempore Innocentii III. ita proprium erat Canonice Cathedralibus, ut ipsi Suffraganei Episcopi ad electionem Metropolitanam cum Capitulo non concurrerent, nec ipsorum assensus requireretur; nisi esset assensus de antiqua, & approbata consuetudine requirendus; ut loquitur idem Innocentius cap. 4. De Postular. Prælat. Et Honorius III. In-

nocentii Decessor Cap. Messana 55. de elect. edicto perpetuo prohibet: *Ne per Laicos cum Canonice Pontificis electione presumatur. Quæ si forte presumpserit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dicitur debet potius corruptela.*

20. Principes Laici se quandoque immiscuerunt sacris electionibus.

Veritas facti constabit exemplis Imperatorum tum Orientalium, tum Occidentalium, Regumque Italiae, Galliae, & Hispaniae, mox referendis.

21. Idque fecerunt duplici via, nimirum, aut Episcopos nominando, vel aliunde electos probando.

Constantinus M. sacris electionibus aliter se non immiscuit, nisi diffusionum compendendarum gratia, atque ut Canones suaderet observari. Eusebius in ejus vita lib. 3. c. 60. 61. & 62. Plus sibi arrogabat degener ejus filius Constantinus, Episcopos à Palatio in Sedes Pastoralis mittendo; quem proin tanquam contra Canones agentem liberrime objurgat S. Athanasius ep. ad Orthodoxos. Theodosius M. inter Catholicos Imperatores primus fuit, qui ad evitandum Schisma in Ecclesia, & satisfaciendum Populi tumultuantis desiderio, Nestorium sæculi IV. sine Constantinopolitanae Ecclesiae delegit Antilitem, si fides Sozomeno lib. 5. c. 8. S. Joannem Chrysostomum Arcadius Imperator vel ipse nominavit, vel Populi Clerique suffragio assensum præbuit. Sozomenus lib. 5. c. 25. Synodus quoque Ephesina Imperatorem ad Episcopos Constantinopolitani nominationem compellavit Actioe 1. qualia exempla occurrunt & in Chalcedonenſi Act. 3. & 11. In Occidente Ottones & S. Henricus, Episcopatum liberalissimi fundatores, sæculo X. & XI. Episcopos ipsi ut plurimum vel nominabant, vel aliunde electos approbant: ut plurimis exemplis ex Chronico Ditmari Episcopi Merseburgensis probat Thomasio de Vet. & Nov. Eccl. discipl. p. 2. lib. 2. c. 38. Idem fecerunt

runt Reges Gallia Merovingicae Gentis, teste Sirmondo in præf. Appendicis ad Tom. II. Conciliorum antiqui. Gallia. Et paulo ante Toletanum Concilium XII. A. C. 681. celebratum, eandem auctoritatem sibi sumperunt Reges Hispaniae. Sic enim sonat Canon 6. ejusdem Concilii: *Unde placuit omnibus Pontificibus Hispaniae, ut, salvo privilegio uniuscujusque Provinciae, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoscumque Regalis Potestas elegerit, & jam dicti Toletani Episcopi iudicio dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis in præcedentium Sedibus præficere Præsules.* Idem mos, teste Willemo Malmsburienſi lib. 2. de gestis Regum Angliae c. 8. aliisque Historicis, ante Gregorii VII. tempora, quoque viguit in Anglia.

22. Idem Principes Laici rati habitonem electionum non solum voce, vel scripto, sed etiam traditione quorundam signorum sensibilium subinde exhibere ceperunt: qui approbationis modus investitura dicebatur.

Signa externa erant communiter virga pastoralis & annulus, vel sceptrum. Solemnitas consistebat in hominio & juramento fidelitatis, ad investiendum Principibus præstanto. Hinc investitura, finibus suis terminisque iustis circumscripta, nil aliud erat, quam consensus ab Imperatore vel Rege adhibitus electioni facta alicujus ad Episcopatum vel Abbatiam, & concessio bonorum Ecclesiasticorum solemnem quodam ritu facta.

23. Investitura per Baculum, & Anulum tempore Gregorii VII. seu ad finem sæculi XI. recens erat usurpatio.

Ottones enim primi leguntur investuras hoc solemnem ritu dedisse, & quidem illa electionum jure, magna que circumspessione, ac modestia: quibus cum sæculo tantum posterior fuerit Gregorius VII. patet suo tempore investuras, etiam innocuas, recentem fuisse usurpationem; & consequenter multo magis eas, quibus sa-

rarum electionum libertas ab Henrico IV. opprimebatur. De quo latius infra in dissertatione.

24. Consensus Regis, nominatio, & investitura Prælatorum Ecclesiae olim non competeat Principibus Laicis Jure communi Divino, vel Ecclesiastico; sed exerceri ceperunt vel usurpatione, vel peculiari privilegio, vel demum Ecclesia coniventente.

N. 7. & seqq. monstratum fuit, Jus electionis Pastorum Ecclesiae ex Apostolica Traditione & Sacrorum Canonum dispositione primitus fuisse apud Episcopos, Clerum, & Populum; deinde ab his ex eadem Canonum dispositione in Ecclesia Græca transiisse ad Episcopos; in Latina vero ad Capitula, nulla facta Principum mentione, imo positiva, quoad ingentionem, exclusionem (N. 17. 18. h. t.) Hinc est, quod Gregorius II. sæculi VIII. initio ep. 2. ad Leonem Isaurum auream illam scripsit sententiam: *Quemadmodum Pontifex introspicendi in Palatium potestatem non habet, ac dignitates Regias deferendi: sic neque Imperator in Ecclesias introspicendi, & electiones in Clero peragendi.*

Exempla ad rem secundæ partis facientia occurrunt N. 21. & seqq. quæ Ecclesia nunquam legitur reprobase, quamdiu immunitati suæ, atque à Christo sibi concessæ libertati non præjudicabant; digni enim erant Principes de Matre sua optime meriti, ut vel similis favor ipsis concederetur, aut si zelo bono in Ecclesias introspicerent, id pie dissimularetur.

25. Ecclesia nunquam toleravit in Principibus appropriationem horum iurum in præjudicium libertatis Ecclesiasticarum electionum.

De Ecclesia Græca vide N. 17. relatum Can. 22. Synodi VIII. quo proprie similis ingessio Principum excludi videtur. Concordat Canon 3. Synodi Generalis VII. De Latina consule dissertationem de investituris, & sequentia.

26. Investituras primus omnium prohibuit & condemnavit Gregorius VII. Huius exemplum secuti sunt eius Successores. Contra quos consuetudinem investiturarum mordicus retinuerunt Romani Imperatores Henricus IV. & V. eius filius, alique Principes. Funestum tandem negotium inter Callistum II. & Henricum V. Wormatiz complanatum, atque in Concilio Generali Lateranensi I. A. C. 1123. consummatum est.

Quantum ad primam p. hæc damnatio & prohibitio facta est A. C. 1075. non in prima, sed in secunda Synodo, à Gregorio Romæ celebrata, sequenti expressione: *Si quis deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ Personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur: insuper ei gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicens. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis Dignitatibus constitutum. Item, si quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quælibet Sæcularium Potestatum, aut Personarum Investituram Episcopatus, vel alicujus Ecclesiasticæ Dignitatis dare præsumserit, ejusdem sententiæ vinculo se adscriptum sciat.* Confirmata est hæc prohibitio, & damnatio investiturarum ab eodem Pontifice in Synodo Romana V. A. 1078. Can. 2. & in VII. A. 1080. Can. 1. & 2.

Quantum ad secundam, Victor III. in Synodo Beneventana A. 1087. Urbanus II. in Synodo Melitana A. 1089. & in Claromontana A. 1095. denique in Romana A. 1099. Paschalis II. in Guastallensi An. 1106. in Trecenti 1108. ac in duplici Romana 1110. investituras damnarunt. Privilegium investiturarum ab Henrico postliminio à se exortum rescidit in Synodis Romæ habitis A. 1112. & 1116. idem Pasch. II.

Pro parte tertia vide infra dissertationem de investituris.

Pro quarta parte adnumeramus ipsam

tenorem pactorum conventorum à Callisto II. & Henrico V. A. 1122. Wormatiz initorum, ex Colet. Concilior. Collect. tom. 12. col. 1327.

EGO Callistus Episcopus, Servus Servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei Gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in presentia tua fieri, absque simonia, & aliqua violentia: ut si qua inter partes discordia emerferit, Metropolitanis, & Comprovincialium iudicio Juniori parti assensum, & auxilium præbeas. Electus autem de te Regalia accipiat per Sceptrum: exceptis omnibus, quæ ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur: & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii consecratus, infra VI. menses Regalia per Sceptrum à te recipiat. De quibus vero tibi querimoniam feceris, & auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum, auxilium tibi præstabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua sunt, vel fuerunt tempore hujus discordiæ.

Rescriptum Henrici Imperatoris.

EGO Henricus Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei, & S. Romanæ Ecclesiæ, & Domini Papæ Callisti, & pro remedio animæ meæ, remitto Deo, & SS. Apostolis Dei Petro & Paulo, & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ omnem investituram per anulum & baculum: & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno & Imperio meo sunt, canonicam fieri Electionem, & liberam fieri Consecrationem. Possessiones & Regalia B. Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernam diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo, ablata sunt; quæ habeo, eidem S. Romanæ Ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut red-

reddantur fideliter adjudicabo. Possessiones etiam omnium aliarum Ecclesiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quam Laicorum, consilio Principum, & justitia, quæ habeo, reddam; quæ non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Callisto, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, & omnibus, qui in parte ipsius sunt, vel fuerunt: & in quibus S. Romana Ecclesiæ auxilium postulaverit, fideliter juvabo.

Restitutionem investituram ab Henrico Imperatore factam, & in eodem Concilio confirmatam, vide apud Coletum in Conciliorum Collectione tom. 12. col. 1338.

27. Romani Pontifices non tantum damnarunt investituras simoniacas, & libertatis electionum Ecclesiasticarum oppressivas, sive quibus non sola Regalia, aut bona feudalia Episcopatum, & Abbatiarum, sed ipsi Episcopatus, & Abbatiz dabantur; verum etiam eas, quibus hæc Regalia conferebantur per traditionem baculi, & annuli: quamvis prudenti œconomia investituras Regalium per alia signa Principibus permiserint.

Utraque enim dimittere debuit, & vi pactorum Wormatiensium, in Concilio Lateranensi I. confirmatorum, dimisit Henricus V. Imperator.

Electus autem Regalia per Sceptrum ab ipso (Imperatore) recipiat, — & quæ ex his jure ipsi debet, faciat: verba sunt pactorum conventorum, vi quorum remanebat Imperatoribus ex jure investiturarum inique usurpato potestas agnoscendi electionibus, & dijudicandæ cum consilio vel iudicio Metropolitanis, & Comprovincialium Episcoporum litis, si essent controversæ. Eadem fere œconomia usi sunt Romani Pontifices erga Reges Galliæ, & Angliæ.

28. Innocentius III. Ottonem IV. A. 1209. adigit, ut mox enarratam dupli-

cem Potestatem, Imperatoribus post pacta conventa Wormatiensia reliquam, & qua Fridericus I. illis ample nimis interpretatis abusus fuerat, prorsus abdicaret.

Raynaldus ad A. C. 1209. N. 10. Exemplum Ottonis secuti sunt Fridericus II. & Rudolphus I. teste eodem ad A. 1213. N. 23. & 1275. N. 38. qui insuper jure Regalia renuntiarunt, teste Thomasio de V. & N. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 37. N. 8. & ita illis sæculis plenissima electionum in Germania fuit libertas, atque sub eodem Innocentio private ad Canonicos, & Capitula Cathedralia spectabat.

29. Vigente hac disciplina mandatis Apostolicis, ac reservationibus in Beneficiorum collationibus interdum locus fuit: per quas tandem jus eligendi Capitulorum ad nihilum redactum est.

Paupertas proborum Clericorum, qui nullum Beneficium Ecclesiasticum habebant, Romanos Pontifices, & ipsum Innocentium ad hujusmodi collationes primum impulit. Ep. 165. ad Episcopum Wratislaviensem. Post Innocentium innotuit Gregoriana Decretalium Collectio. Clementis Statutum declarat Bonifacium VIII. A. 1294. Cap. Presenti 34. eodem tit. in 6. explicans quid sit vacare Beneficium in Curia Romana. Hi ergo Romani Pontifices sibi Episcopales Ecclesias necdum reservarunt. Post hos Benedictus XI. Bonifacii Successor A. 1303. fuit, qui primus statuit, non posse IV. Patriarchalibus Ecclesiis provideri R. Pontificis inconsulto, Extrav. S. Romana inter communes: qua electionem Capitulis non tollit, sed solum restringit, ut ibi videre est. At Clemens V. eius Successor A. 1305. in Extrav. Eisi in temporarium de Prab. & Dign. inter communes, Dd 2 gene-

generaliter sibi reservavit Patriarchales, Archiepiscopales, & Episcopales Ecclesias apud Curiam vacare contingentes, cum aliis minoribus Beneficiis, à Clemente IV. & Bonifacio VIII. reservatis; verum *pro hac vice tantum*, ut ibi loquitur. Idem in Clementina *In plerisque de elect.* eorum quoque Ecclesiarum provisionem Romani Pontificis dispositioni reservavit, quæ Clero, & Populo Christiano carerent. Joannes XXII. Clementis V. Successor A. 1316. ejusdem, & Bonifacii VIII. vestigia terens, in *Extrav. Ex debito de elect. inter communes*, provisioni suæ Episcopales, & his majores Sedes, aliaque Beneficia, quæ apud Romanam Curiam vacare contingeret, Apostolicæ Sedi reservavit: qua Extravagante vacationem in Curia à Bonifacio explicatam ad plures alios casus extendit. Qui possunt videri ibi, & in notis nostris historicis hoc libro tit. 2. N. 350. Joannis XXII. exemplum A. C. 1334. secutus est Benedictus XII. *Extrav. Ad Regimen de Prab. & Dign. inter communes*; donec per regulam secundam Cancellariæ generaliter omnes Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, Episcopales, &c. Ecclesiæ Romani Pontificis dispositioni reservarentur, & jus eligendi Prælatos apud Capitula, à temporibus Innocentii III. existens, ad Sæculi XIV. medium penitus annihilaretur.

30. His Summorum Pontificum reservationibus renitebantur tum Episcopi, tum Capitula, tum Patroni, jura sua per illas lædi causantes, Regibus ac Principibus jura eorum tuentibus.

Imprimis Romanus Honorii III. Legatus Archiepiscopis, Episcopis, Cleroque Gallicano A. 1226. persuadere non potuit, ut reservationes minorum Episcopatu Beneficiorum, quæ tunc à RR. Pontificibus quandoque precibus, quandoque præceptis exequabantur, admitterent. Nec eo felicius apud Anglos fuit Otto, ejusdem Sedis Apostol. Legatus, ut refert Mattheus Parisius ad hunc annum. Quorum Proce-

res insuper jura Patronatus per has reservationes lædi literis conquesti sunt apud Gregorium IX. A. 1239. & apud Innocentium IV. A. 1245. Tempore dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Franciæ Regem interjectæ sunt ab illo preces contra reservationes; jus tamen moderatarum à Pontifice vindicatum. Et hæc erant quærelæ contra reservationes Beneficiorum Episcopatu minorum. At postquam etiam ipsi Episcopatus, & his majores Dignitates reservari cœpissent, quidam Anonymus Sæculo XIV. in Synodo Viennensi oratione, quam refert Oloricus Raynaldus ex MS. Vaticano ad A. 1311. graviter conquestus est. Deinde Sæculo XV. Ecclesiæ Gallicana contra amplitudinem earundem reservationum Decretum edidit Parisiis, quod Carolus VI. Rex Christianissimus edicto confirmavit A. 1406. Et aliquot post annis Synodus Constantiensis 1414. celebrata, sancit, ut Romanus Pontifex proxime eligendus reformationem faceret cum Concilio, præsertim super articulis alias per Nationes in Reformatorio oblati, quorum unus erat *de Reservationibus Apostolicis*. Verum Martino V. & ipso Concilio rem hæc in aliud tempus referente, tandem Basiliensæ Concilium A. 1431. tribus decretis, sessione 12. & 23. editis, illas omnino antiquavit.

31. Missa legitimitate hujus Concilii usque ad sessionem 25. Reservationes nihilominus Pontificiæ post hæc decreta majori ex parte abolitæ sunt, & multum limitatæ.

Ambabus enim ulnis illa exceperit Conventus Ecclesiæ Gallicanæ Bituricis, quibus Rex Christianissimus Carolus VII. famosa illa Pragmatica Sæctione vim & robur Publicæ Legis addidit, qua in Gallicis electio Episcoporum Capitulis Cathedralibus restituta fuit. Germani quoque Proceres post hæc acris abrogationem & limitationem reservationum Apostolicarum urserunt, atque A. 1448. intentum

sump

sum affecti sunt per Concordata inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imperatorem: quæ vide hoc lib. tit. 2. N. 348.

32. Non diu hæc electionum libertate, postliminio revocata, gavisæ sunt Capitula aliarum Nationum. Sola Germania se in illa in hæc usque diem tuerur.

Quantum ad 1. part. Pius II. A. 1548. ad Pontificatum assumptus, ejusque Successores apud Reges Christianissimos abrogationem Sæctionis Pragmaticæ vehementer urserunt; atque hæc super re 50. & amplius annis decretatum est, obnitentibus Prælati, Parliamentis Regiis, & Universitate Parisina. De quibus consulenda est historia Pragmaticæ, & Concordatorum. Donec A. 1516. initis Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. res ita sopiretur, ut abrogatis denuo electionibus, nominatio Prælatorum Ecclesiæ, Regi, confirmatio vero eorundem Romano Pontifici reservaretur. In Hispania Carolo V. & ejus Successoribus jus præsentandi Episcopos Adrianus XI. perpetua lege concessit; cum antea ad eorum supplicationem precario à RR. Præsulibus instituerentur, ut refert Mariana lib. 26. de rebus Hispaniæ c. 26.

Secundam partem praxis ipsa Germaniæ Concordatorum mox laudatorum observantissima docet. Non possum hic omittre animadversionem doctissimi Thomæsi de N. & V. Eccl. discipul. p. 2. lib. 2. c. 37. N. 10. Illud arcana Numinis providentiæ, inquit, non possumus non magnopere mirari consilium, quod cum in Germania electiones & audacius fuerint, & diutius impugnatæ, ea ipsa nunc sit eorum retinentissima, & una propemodum Christiani Orbis Provincia, in qua adhuc vigeant. Nec illud forsitan minus stupendum, quod, ut prius RR. Pontifices invictissima constantia frugerunt contumaciam Principum Germanorum electiones impugnantium, post Germani Principes strenue certarint, ut Concordata sibi sua ad tuendas electiones concederentur à Pon-

tificibus, adversus Pontificis maxime reservationes. Hæc ille.

33. Jure eligendi non gaudent Protestantium Capitula immediata, quamvis alicubi Pastores basorum Beneficiorum eligantur.

Superintendentes enim & Inspectores, qui quodammodo cum nostris Episcopis comparari possunt, imponuntur à terræ Principe. Ziegel de Superintendentibus c. 4. §. 7.

Exemplum pro 2. par. adfert Fleischer in manduactione ad Jus Canonicum Protestantium ex Ecclesiis Parochialibus Argentoratensibus. In quibus tria vel 4. Subjecta à Concilio Ecclesiastico Senatui præsentantur. Qui juxta ordinationem de A. 1670. p. 390. periculum suæ libertatis concionibus publicis facere tenentur; post quod à Patrono duo in characterem constituti ordinantur, qui Parochianorum vota singillatim, & separatim excipiunt; ac demum, qui pluribus gaudet, à Patrono instituitur.

§. I I.

De Electione Romani Pontificis.

34. CUM omnes Christiani Orbis Antistites speciali nota digni sint, de eorum electione singulari Paragapho agere dignum judicavimus; eo præsertim, quod isthæo argumento præsens Titulus magnopere illustrabitur, Lectorique tam utile, quam jucundum sit futurum.

35. Ad V. usque Sæculum Romani Pontificis, ut alii Orbis Antistites, communibus Populi, Cleri, atque Provincialium Episcoporum suffragiis eligebantur.

Rei decantatæ exemplum unum ex S. Cypriano, Sæculi III. Scriptore, adferimus, qui de Cornelii in Romanum Pontificem electione ep. 52. ad Antonianum scribit: *Factus est Cornelius Episcopus de Dei*

Dei, & Christi ejus judicio, de Clericorum pene omnium testimonio, de Plebis, que tunc adfuit, suffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & honorum virorum testimonio. Quæ disciplina imperturbata mansit usque ad Epocham interitus Occidentalis Imperii sub Augustulo, quem A. 476. devicit, ac relegavit Odoacer Herulorum Rex.

36. Hic Odoacer Herulorum Rex, post mortem Simplicii, occupata Italia, prius edictum promulgavit, ne novus, se inconsulto, Pontifex eligeretur.

Ad hoc edictum promulgandum à Simplicio ipso fæ exoratum affirmat, ut compecerentur eæ tumultuationes, quibus electiones plerumque fovebantur. Teste Thomass. de V. & N. Ecclesie disciplina p. 1. lib. 2. c. 16.

37. Hoc edicto facti sunt conatus prælusorii, & quadam veluti semina, ut in Italia Regum potestatem Romanorum Pontificum devolveret electio.

Hunc enim abrupta, & dissipata eo statim tempore fuerint Odoacris Usurpatoris consilia, dum, ipso bello decretorio cum Theodorico Ostro-Gothorum Duce, suo æmulo, involuto, quo tandem vita simul, ac Italia privatus est, libere Romæ eligebantur more consueto, Felix, Gelasius, & Anastasius, Simplicii Successores; infelix nihilominus Schisma, quo à Laurentio Romanæ Ecclesie Archidiacono, procurante Felto Romano Senatore, vexata sunt Symmachi Papæ post mortem Anastasii A. 498. exordia, oportunitatem porrigebat anam Theodorico Regi, Odoacris victori, Italix Urbique usurpatori, vendicandæ sibi totius in Electione potestatis: non enim tantum Schismatis, occasione legis ab Odoacero latæ, à factionibus rogatus est arbitri, teste Anastasio Bibliothecario in vita Symmachi; verum etiam, illo recrudescente, à Felto & Probinio Romanis Senatoribus eodem teste interpellatus, Romanæ Ecclesie Visitatoris constituendi Pro-

visor. Quam utramque provinciam nihilominus præstantissimus, & consultissimus Rex, elto Arrianus, ita obivit, ut mallet justitia, & pietate, quam potestatis incremento clarescere. Quin & Symmachi Successores Hormisdam, & Joannem I. canonicè à Clero, Populoque Romano electos passus est. Teste eodem Anastasio in horum Pontificum vitis. At tandem in fine corrumpens Rex alias, salva fide, incorruptissimus, non tantum Joannem I. fidei causa neci dedit; verum etiam Felicem III. Joannis Successorem, prætermisso eo, cui plura Canonicorum electorum aspirabant suffragia, sua autoritate in Petri Sede collocavit. Quo factò elegit quidem meliorem: at non melius, sed pessime finalis ille Tyrannus.

38. Post Odoacri legem, & Theodorici factum, Gothorum Reges assensum in electione Romanorum Pontificum cum ipsa eorundem nominatione stabilire conati sunt, quamvis frustra.

Hunc in finem Athalaricus Theodorici ex filia nepos & Successor, statim post mortem Avi congratulatorias ad Senatam Romanam literas misit, quod nominationi Felicis ab Avo factæ tandem assensus esset. Nec enim fas esse à judicio, & voluntate Principis dissidere; oportebat enim arbitrio boni Principis obediri. Verba sunt illius apud Casiodorum lib. 8. ep. 15. En quomodo jam serpsit usurpatio novella! Post Felicis obitum A. 530. fædum Schisma rursus erupit inter Bonifacium, & Dioscorum. An ex eo id emerferit, quod Athalaricus Pontificem obtrudere tentavit? omnino non constat. At post Bonifacii obitum Joannes, & Agapetus Sedem Apostolicam obtinere, Gothibus Regibus inconsultis, qui & ipsi variis bellis alibi distinebantur. Nihilominus Agapetus Constantinopoli A. 536. defuncto, Sylvesterus Hormisdæ Papæ filius à Theodato Gothorum Rege Pontifex creatus est, ne umbra quidem electionis adhibita, quin & intentata morte, si qui voluati Regis reniterentur,

tur, teste Anastasio in ejus vita. Qui huic Pontifici ibi perperam simonix labem inurit, juxta Natalem Alex. Hist. Eccl. Sæc. VI. c. 2. art. 8. Contrarium sentit Thomassinus L. cit. Tentata ergo, & aliquando usurpata fuerat à Regibus Gothicis Papæ eligendi potestas, nunquam satis fixa, & firmata: ut quæ bis, & terque dumtaxat eruperit, ex occasione tumultuosarum electionum, & grassantis quandoque Clericorum ambitionis: inquit Thomass. L. cit. N. 6.

39. Victis à Justiniano Orientis Imperatore per Belisarium, & Narsetem circa medium Sæculi VI. Gothicis, atque Italia pulsus, dum Roma Urbis Principatum recipere Græci Imperatores; confirmationem, aut etiam electionem Romanorum Pontificum continuant, stabilemque fecerunt; nulla tamen positiva concessione, sed indulgentia, & tolerantia.

Initia hujuscemodi Jurisdictionis consecrare tentavit Theodora, famosa illa Justiniani Uxor, dum Vigilium post mortem Agapeti, ipse damnandi ab ipso Chalcedonensis Concilii allecta, pollicitatione septem centenariorum auri, & promissione præcepti ad Belisarium dandi, ut Papa ordinaretur, ad suscipiendum Pontificatum pellexit, atque sibi assentientem Romam misit: qui tamen Sylvesterium à Theodato Gothorum Rege jam ordinatum reperit; ac postea Sylvesterio A. 540. martyrio, inedia confectioe, coronato, legitimis Comitibus, terrore nihilominus minacis Belisarii, ac studio pacis & unitatis actis, dignitatem Pontificiam obtinuit, suæque pessima initia glorioso progressu & sine emendavit, ut habet Anastasius in ejus vita. Quibus, post Romam per Narsetem cum tota Italia Orientis Imperio subiectam, laudatam in propositione ædificium superstruxerunt reliqui post Justinianum Constantinopolitani Imperatores, Romanos Pontifices, aliosque Latii Episcopos vel nominando, vel confirmando: ut constat ex Pelagii I. Vigilii Successoris ep. ab Hol-

stenio pag. 227. collect. Rom. publicata, atque ex decantata Gregorii M. electione apud Joannem Diaconum in ejus vita, aliisque Ecclesiasticis monumentis. Ex quibus tamen illud notabile colligitur: Generaliter libera semper suffragia sua ad Pontificis electionem contulisse Clerum, Senatam, & Populum Romanum; Imperatoresque tantum confirmasse electionem, ita, ut si electum abjecissent, alius esset eligendus. Thomass. L. cit. N. 8.

40. Græcorum Imperatores insuper pensiones pecuniarias à Romanis Pontificibus ita electis exegerunt.

An Evo S. Gregorii fæ Sæculi VI. sine hæc pensio Græcica in usu fuerit? non satis liquere ait Thomass. L. cit. N. 9. ipso tamen, & aliis testibus, penes pensioni parum canonice obnoxii fuere Romani Pontifices, qui Gregorio succedere, usque ad Imperium Constantini Pogonati: à quo Sæculo VII. adstanti Agatho Papa, teste Anastasio in ejus vita, accepit divalem jussionem, secundum suam postulationem, per quam revelata est quantitas, quæ solita erat dari, pro ordinatione Pontificis faciendæ. Sic tamen, ut si contigerit post ejus transitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducat in Regiam Urbem (Constantinopolim) secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia, & jussione debeat ordinari provenire. Hoc decreto, seu divali jussione probatur & præfens propositio, pensiones pecuniarias pro Ordinatione Romani Pontificis Græcis Imperatoribus fieri solitas, quas Thomassinus L. mox cit. Gregorii Ævo in dubium vocat; Natalis vero Alex. Hist. Eccl. Sæculo VI. cap. 5. art. 4. à Gothorum Regibus asserti jam introductas; atque præcedens, nimirum Confirmationem electionis Romanorum Pontificum à Græcis Imperatoribus exerceri solitam nulla positiva Juris Ecclesiastici dispositione, sed consuetudine, & Arrianorum Go-

thica Gentis Regum usurpatione nata, atque ob temporum duram conditionem ab Ecclesia tolerata, niti.

41. Idem Religiosissimus, atque in Ecclesiam Romanam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magiltram, Pientissimus Imperator Constantinus Pogonatus *Confirmandi Jure Romanos Pontifices, se, suosque posteros insuper abdicavit.*

Sub Pontificatu enim Benedicti II. qui incidit in annum 684. ad Clerum, Populum, & Exercitum Romanum literas dedit, ut electus semel Pontifex statim ordinaretur. *Concessit, ut electus è vestigio absque tarditate Pontifex ordinetur.* Verba sunt Anastasi in hujus Pontificis vita, à quo & perhibetur Joannes V. eo beneficio primum usus, his verbis: *Hic post multorum Pontificum tempora vel annorum, nimirum ab Odoacro (N. 36. h. t.) usque ad Constantinum Pogonatum, juxta prisam consuetudinem, hoc est, illam, quæ ab Apostolorum temporibus usque ad Odoacri Arriani Legem Romæ immota persistit, Legibus Divinis, Ecclesiasticisque firmata (toto §. r. h. t.) à generalitate (à Clero, Populoque Romano) in Ecclesia Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, electus est, atque exinde in Episcopatum introductus, seu consecratus.*

42. Solus Joannes V. plena illa libertate in Romanum Pontificem electus est, post cujus obitum Græci Imperatores alii eam cuniculis subvertere studuerunt.

Id Justinianus Rhinometus Constantini Pogonati Successor tentavit, scilicet, per militares copias, quæ tunc vocem in Capitulo, ut dici solet, cum Clero, Senatu, Populoque Romano adeptæ sunt, non alteri dandam, quam qui sibi arderet, quemque insuper à suo Exarcho Ravennateni oporteret confirmari. Ex quo & illud obortum est malum, teste Baronio ad A. 686. *Ut ambientes Pontificatum, per Exarchi ministerium illum consequi conarentur, sive muneribus,*

*sive aliis officiis hominem demerentes. Id quod eodem anno fecit Paschalis Archidiaconus Romanæ Sedis, post mortem Cononis, cum Theodoro Archiepiscopytero contra Sergium I. pertinacior amulus: qui Sergius, quem Exarchus Platyn deponere jam non valuit; homini impudentissimo nihilominus centum libras auri, à Paschali sibi promissas, solvere per vim adactus debuit, teste Baronio A. cit. Et in ipsa Cononis electione, factione Exercitus turbata; dum hic tandem Clero, Populoque Romano consentiret, Missos (seu Nuntios) pariter una cum Clericis, & Populo ad Excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt. Verba sunt Anastasi: quibus innuit, tunc jam iterum ceptam, vel innovatam confirmationis electionis Romani Pontificis à seculari Potestate, nimirum, Ravennatibus Exarchis consuetudinem, quæ etiam nunc aperta, nunc palliata apud ipsos cum suis quandoque interpolationibus perduravit usque ad A. 752. quo Ravenna ab Alstulpho Longobardorum Rege capta, Exarchatu huic finis impositus est, teste Petavio in Rationario Temporum successione 59. Audiatur Baronius ad A. 705. *Incredibiles perspicias, inquit, fuisse Græcorum artes, quibus nisi sunt sibi subjicere (si licuisset) Romanam Ecclesiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis, sibi tyrannice usurpate, tandem renuntiasent Imperatores, studuerunt alia via eadem Romanæ Ecclesie dominari, agentes nimirum, ut in Collegium S. Romane Ecclesie Cardinalium allegarentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum adnente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas post Benedictum Pontificem (quo mortuo Constantinus Pogonatus usurpationem confirmationis remisit, ut supra N. 41. diximus) Joannem V. Syrum natione, creatum Successorem, deinde Cononem Thracem, postea Sergium Syrum, Joannem deinde Græcum, pariter ordine VI. dictum, inde hunc, de quo**

quo agimus, Joannem VII. itidem Græcum, postea Sissinnium Syrum, itidemque Gregorium III. Syrum etiam, nec non post eum Zachariam Græcum: ut appareat inter hos omnes vix unum Gregorium II. intercalatum, Romanum natione, Pontificem. Spe tamen sua per ipsos Græcos Pontifices, Apostolicos vere Viros, iidem delusi sunt, ut ibi monstrat Baronius.

43. Post Zachariæ obitum, Græcis Exarchatu à Longobardis spoliatis, pristina Romanorum Pontificum eligendorum libertas revixit.

Sic enim, teste Libro Pontificali, Stephanum Presbyterum ad Pontificatus Ordinem cunctus Populus sibi elegit, A. 753. Fuit is Stephanus II. Zachariæ Successor. Post quem Stephanus III. simili modo electus fuit. Et Paulus I. hujus Successor in literis ad Pipinum datis ait: *In Apostolatus Ordinem à cuncta Populorum Caterva mea infelicitas electa est. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Christianissime Excellentie tue Missus. Concilior. Gallie tom. 2. pag. 40. Et quamvis Toto Nepefino Dux, post Pauli obitum in Romanam Civitatem irumpens, germanum suum Constantium eligi extorlerit; nihilominus Romani Optimates, Antipapa pertasi, auxilio Desiderii Longobardorum Regis freti, Clero, Exercitu, Populoque convocato, Stephanum IV. A. 768. libera & canonica electione Throno Pontificio invexere: ut habet Anastasius in ejus vita. Eodem modo Adrianus I. apicem Apostolicum adeptus est.*

44. Adrianus I. jus eligendi Rom. Pontificem, cassata veteris electionis forma, in Carolum M. ejusque Successores non transfudit. An vero, translato à Græcis in se, suosque Successores Imperatoris Romani titulo, confirmationis ejusmodi electionum Privilegium postliminio exercuerint? intricatum est. Illud certum, tentata esse multa ab Adriani I. tempori-

bus, seu ab A. 800. usque ad electionem Adriani II. ut necessitati Confirmationis Imperatoris subjacerent Romani Pontifices.

Prima propositionis pars in aprico est. Supposititium est enim Privilegium Adriani, quo Carolo M. potestas conferri narratur eligendi Romanum Pontificem, & c. sicut & illud Leonis VIII. Antipape (N. 50. §. 1. h. t.) vel ex hoc etiam, quod Leo III. Adriani Successor, una concordia, eademque voluntate à cunctis & Sacerdotibus, seu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto Populo Romano electus est, teste eodem Anastasio. Similiter ejus Successores Stephanus V. Paschalis I. Eugenius II. Valentinus, Gregorius IV. Sergius II. Leo IV. Benedictus III. Nicolaus I. & mentionantur in propositione Adrianus II. et ex Anastasio Bibliothecario fuit Nicolaus I. florente, horumque ac aliorum usque ad ipsium Nicolaum Pontificum vitæ Scriptore, referunt Authores.

Quantum ad II. p. quod post mortem Adriani I. Imperatores Occidentis Romanorum Pontificum electionem per se vel suos Missos, seu Legatos ratam haberint, probare videntur: Primo, decretum Stephani V. qui sub ipsa Imperii Ludovici Pii, Caroli M. filii, initia decretum edidisse à Gratiano refertur dist. 63. Can. 28. quo statuitur: *Ne ordinari possit electus Papa, nisi adjutibus Imperatoris Legatis. Secundo*, quod Author vitæ Ludovici Pii, quem Ademarum Monachum fuisse suspicantur, scribat, hunc Pontificem ante suum in Galliam adventum præmisisse Legationem, quæ super ordinatione ejus Imperatori satisfaceret. Tertio, quod Eginardus, vitæ Caroli M. cui familiaritate conjunctus erat, & de Gregorio IV. testetur: *Gregorius electus, sed non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris (Ludovici) Romam veniret, & electionem Populi examinare: cui consentit Author vitæ ejusdem Imperato-*

ris apud Duchenum tom. 2. pag. 305. apud quem tom. 3. pag. 200. Annales Bertiniani de electione Sergii II. Gregorii IV. Successoris, sequentia quoque referunt: *Sergius substituitur, quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius (Ludovici Pii filius & in Imperio Successor) filium suum Ludovicum (secundum) Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos, ne deinceps decedente Apostolico, quisquam illic præter sui iustionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes. Quarto, quod ipse Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis IV. Sergii II. Successoris circa ejus electionem scribat: Romani novi electione Pontificis gaudentes, ceperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine Imperiali non audebant autoritate futurum consecrare Pontificem: quem tamen ex urgentissimis causis sine permissu Principis pro illa vice eos consecrassè refert: & de Benedicti III. Leonis IV. Successoris electione, cui ipse interfuit, affirmet: Pristinam consuetudinem esse servatam, ut differretur ordinatio, donec ad Imperatores (Lotharium, & Ludovicum II.) mitteretur decretum electionis. Quinto, quod Legati Ludovici II. excanderint, se ab electione Adriani II. Benedicti III. post Nicolaum I. Successoris, exclusos fuisse; Romanos vero hanc exclusionem purgasse, prætextu formidinis, ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Presulum mos expectandi per hujuscemodi fomitem inoleferet. Mos igitur jam erat eos expectandi. E contra: quod libera, & à recentium Imperatorum Occidentis confirmatione immunis fuerit Romanorum Pontificum electio, aperte testatur, Primo, Florus Magister in tractatu De electione Episcoporum, quem scripsit circa A. 820. sub Ludovici Pii Imperio, in quo tractatu sequentia narrat: In Romana Ecclesia usque ad præsentem diem cernimus, absque interrogatione Principi, solo dispositionis di-*

vina iudicio, & Fidelium suffragio Pontifices consecrari Secundo, ipse Ludovicus Pius Constitutione, ipso promotionis Pafchalis I. anno, videlicet 817. promulgata, atque à Gratiano eadem diff. 63. Can. 30. relata, sancit, ut electio Romani Pontificis, similiter & consecratio, gaudeat plenissima libertate, sequentibus verbis: Quando divina vocatione hujus Sacratissimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno nostro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet Gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat, contra Romanos aut publice aut privatim conveniendi, aut electionem faciendi. — Licet aut Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eum, quem divina inspiratione, & B. Petri intercessione, omnes Romani uno consilio, atque concordia, sine qualibet promissione ad Pontificatus Ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate, vel contradictione more canonico consecrare; & dum consecratus fuerit, Legati ad nostros Successores Reges Francorum dirigantur: qui inter nos & illum amicitiam, & charitatem, ac pacem fociant. Amicitia ergo, charitatis, & pacis focianda, non confirmationis obtinenda gratia Romanos Legatos ad Imperatores iurati oportebat ex Constitutione Ludovici Pii.

Tertia pars allatæ propositionis ex dictis pro secunda conficitur. Eisdem enim Thomalsinus de V. & N. Eccl. discipl. p. 2. l. 2. c. 25. N. 4. ea, quæ pro jure confirmationis Papalium Electionum Imperatoribus adserendo ratione 1. 2. & 3. secundæ hujus partis proferantur, diluere conetur, dicendo ad primam, Decretum illud Stephani V. fictitium evinci vel ex ipsa Pafchalis I. ejus Successoris electione, quem una voluntate à cunctis Sacerdotibus — cunctoque Populo Romano electum asserit Anastasius, nulla mentione Legatorum Imperialium, aut Imperato-

peratoris confirmationis facta; idemque Anastasii, & Adonis Viennensis in Chronico silentium opponat iis, quæ ratione 2. ex Ademaro, Annalibus Eginardi, & Bertinianis corraduntur, simul cum positivo testimonio Flori à nobis in Sed contra primo loco adducto; atque ad tertiam dicat, Anastasium, & Adonem in hoc consentire, eo tantum pertinuisse iter Romanum Ludovici Lotharii filii, ut Imperatoria Corona cingeretur; non vero mandatum ibi notatum deferat: nihilominus etiam candide fatetur, testimonium ex ipso Anastasio de electionibus Leonis IV. adductum pro electione Leonis IV. pene solum, si vel maxime ei accedant Annales Eginardi, elevare posse, quæ in contrarium disputata sunt omnia. Et certe si his jungantur ea, quæ ibidem, & ratione 5. ex eodem Anastasio de electionibus Benedicti III. & Adriani II. subjunguntur, manifestum sit, tanta multa esse, ut necessitati confirmationis Imperatoris subjacerent Romani Pontifices; alternata tamen magis, quam stabiliter decreta, & in usum perpetuum deducta. Unde Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII Imperatores ignavia arguit, quod Privilegium Adriani I. (quod genuinum falso existimat) tam segniter urserint.

45. Adriano II. vita functo, electiones, & ordinationes Romanorum Pontificum celebratæ sunt Legatis Imperatoriis, tum Imperatoribus ipsis inconsultis.

Vidimus enim N. præcedenti ratione 5. primæ partis membri secundi propositionis allatæ, Legatos Imperatorios ab electione Adriani II. via facti fuisse exclusos, ne mos hujuscemodi Legatos expectandi per similem fomitem inoleferet, Legatosque, imo ipsum Imperatorem huic exclusioni tandem acquievissè, constat ex serie historiarum, relata à Grat. diff. 63. can. 29. Hac igitur acquiescentia freti Romani, defuncto Adriano II. simili electione substituerunt Joannem VIII. Marinum, & Adrianum III. qui de electione Pon-

tificis decrevit, ne in ipso creando Imperatoris auctoritas expectaretur; idque ideo, ut Cleri & Populi libera sint suffragia. Ut habet ejus vita in Coletana Concilior. Collect. tom. 11. col. 533.

46. Exclusio Romanorum Imperatorum ab electionibus, sive consecrationibus Apostolorum non diu duravit.

Facta enim primum est in electione Adriani II. quæ contigit A. 868. & duravit ad A. 904. quo Joannes IX. ob perturbationes, tumultusque crebros in illis exortos compulsus est decernere, ut ne posthac fieret Romani electio Antistitis, nisi publice ab Episcopis & Clero, Senatu, & Populo; & ne consecraretur electus, nisi adstantibus Legatis Imperatorum. Decretum illud refert Thomass. L. supra cit. qui ibi N. 6. pergit: Hoc porro ex Decreto patet 1. non ad electionem, sed ad ordinationem tantum admittis Legatos Imperatores. 2. Nec admissos fuisse nisi præventendis dissensionibus, & grassationibus: qui violentiam, & scandala in ejus consecratione non permittant fieri. 3. Morem advocandi Imperatoris Legatos ad Pontificis Ordinationem tum habitum fuisse pro canonico ritu & consuetudine. Nec canonico ritu, & consuetudine ab Imperatore directi interfuit Nuntii. Quia nimirum hæc consuetudo apud Græcos Imperatores subinde viguisset (N. 39. h. t.) apud Francos alterationibus subjecta utcumque perdurasset (N. 44. h. t.) & 20. abhinc annis ab Adriano III. primo abrogata fuisse. (N. 45. h. t.)

47. Ex neglectu Decreti Joannis IX. electiones Romanorum Pontificum omnem pene libertatem amiserunt, atque in Imperatoriam Potestatem fere redactæ sunt.

Inde enim factum est, ut fatali illo seculo X. Marchiones Hetruriz, & Comes Tusculani, cum Magnatibus Romanis opprimerent de novo libertatem Ecclesiarum, creando, & deponendo Pontifices,

juxta propriam libidinem; & quemadmodum plus minusque suis passionibus id expedire judicabant, teste P. Maimbourgo in Historia magni Schismatis in Occidente, ipsorumque Pontificum à Joanne IX. usque ad XII. vitis apud Nat. Alex. Sæculo X. seu usque ad A. 962. Quo Otho I. à Joanne XII. contra Berengarii tyrannidem evocatus, Romam venit, atque Imperatoria Dignitate ab eodem auctus est, teste Floardo, Regione, Luitprando: qui etiam mutam fidelitatem ab Imperatore & Pontifice sibi fuisse juratam referunt. Quo anno, teste Baronio, Ananiam tomo X. diploma edidit, quo non tantum donationes Pipini & Caroli M. Ecclesie Romanæ factas confirmat, verum etiam Romani Pontificis electionem canonicè fieri sancit; vetatque, ne ullus impedimentum Romanis illis afferret, quos ad hanc electionem per Constitutionem Sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo. Jussit vero, ut Pontifex electus non ante consecraretur, quam promissionem de Republica conservatione procuranda fecisset, presentibus Imperatoris Legatis, & omni Populo, instar ejus, quam fecerat Leo III. Per hoc igitur diploma cassatum fuit decretum Joannis IX. A. 904. editum (N. 46. h. t.) assensuque Imperatoris ab electione Romanorum Pontificum exclusus. At at, postquam A. sequenti, seu 963. Joannes XII. immorigeratus Pontifex, juramenti Othoni facti sæpe religione, Alberico contra eundem faveret: Otho, teste Luitprando, advolat in Urbem, à Romanorum Optimatibus elam invitatus, Cives Imperatorem cum suis suscipiunt, fidelitatem spondent, atque insuper jurant, nunquam se Papam electuros, aut ordinatos præter consensum, atque electionem Othonis Casaris Augusti, filique ejus Augusti. Celebratur in continenti Synodus, Joannes XII. de atrocissimis criminibus accusatur, Leoque VIII. adhuc Laicus, Romanæ Ecclesie Proto-Scriniarius, à Sigebertus

scribit, Pontifex, seu potius Antipapa electus, & consecratus est. Cum vero A. sequenti, seu 964. mortuo Joanne XII. Benedictus V. à Romanis, contra sacramenti Othoni nuper facti religionem, fuisset substitutus; ab eodem, Romam denuo advolante, pati coacti sunt, Leonem demum Sedi Apostolicæ intrudi, Benedictumque Sanctissimum Pontificem in exilium Hamburgam ablegari, in quo & mortuus est. Hic Leo VIII. in usurpata Petri Sede confirmatus, in Pseudo-Synodo Constitutionem edidisse fertur, qua Othoni Imperatori, ejusque Successoribus privilegium ab Adriano I. Carolo M. datum confirmat, vi cujus ipsis in perpetuum facultas conceditur eligendi Romanum Pontificem, & investituræ Episcopis tribuendi: quam refert parum accuratus Gratianus dist. 63. cap. In Synodo.

Ex his porro monumentis liquet, patrum annorum spatio, Assensum Imperatorum in electiones Romanorum Pontificum, & Imperatorio edicto fuisse exclusum, & Romanorum Procerum Suffragiis jure jurando firmatis requisitum, & tandem ipsam nominationem ipsdem Pontificio diplomate delatam, confirmatam. Verum sicut jus nominandi Romanum Pontificem Imperatoribus nequaquam asseri potest ex Leonina Constitutione, cum, præterquam quod sit à Pseudo-Pontifice (N. 79. h. t.) edita, insuper una cum Privilegio Adriani exstat apocrypha (N. 71. & 72. h. t.) ita & exclusio assensus Imperatorii in Romanas electiones ex Constitutione Othonis I. peti certo nequit; cum, teste Thomasio de V. & N. Eccl. discip. p. 2. l. 2. cap. 25. N. 7. tot vexetur difficultatibus, ut vehementer diffidat, tam dubio fundamento committi quidquam posse, quod fixum ac ratum sit. Præcipuas adducit ibi. 1. Quod ea de re sileant Luitprandus, Regio, & Floardus, ejus ævi Scriptores. 2. Quod causa subducendi Ecclesiam Romanam jure procedo tot latrunculorum, à quibus jam du-

adum lanciabatur, quæ Joannem IX. permoverebat, ut necessitatem Imperatoris assensu in Romani Pontificis consecratione decreto sanciret; simulque inde redundans in Imperialem Majestatem honor Othoni contrarium persuasisse debuisse ab eo, quod illa præsentis diplomatis appendice decrevisse narratur. 3. Quod in sponse Romanorum Civium Othoni postliminio facta, de non eligendo Pontifice absque suo, filique assensu, nulla fiat mentio rationum revocandi, retractandique hujus beneficii à se anno abhinc elapso concessi. Midea igitur via incedendum, atque narratio Luitprandi, à nullo contestata, amplectenda; vi cujus decretum Joannis IX. (Imperatorios Legatos Ordinationi Romani Præsulis, ad prævertendas dissensiones, & grassationes, interesse jubens (N. 46. h. t.) ab Optimatibus Romanis extenditur ad ipsum Assensum Imperatorum, ipsi electioni præstandum. Quam extensionem imprudenter & temere à Romanis, odio vainiano in Joannem XII. immorigeratum & fœdistragum Pontificem animatis, factam, eosque hoc facto limites sue potestatis excessisse, adfirmat Nat. Alexander. Quidquid autem sit circa punctum istud intricatissimum, certum est primo: Sub Adriano III. exclusum fuisse assensum Imperatorum ab electionibus Rom. Pontificum (N. 45. h. t.): Certum est II. decreto Joannis IX. presentiam Legatorum Imperialium tantum in Ordinatione horum Præsulum gratia consensendorum tumultuum fuisse requisitam (N. 46. h. t.): Certum denique est III. Romanos Proceres in actu mox recensito, Jus assensus Imperatorii in eadem electiones juramento non sanxisse, nisi Othoni I. & ejus filio (N. 47. h. t.): Certum tandem est IV. Othonem I. ejusque filium jure sibi delato usos fuisse, ut mox videbimus: Certum finaliter est V. hac limitatione non obstante, Othonem III. Othonis I. nepotem non fuisse eum, qui elabi sibi pateret privilegium, in

quo nunquam fuerat inclusus. Quandoquidem ubi Romam venit, Brunonem confanguineum suum, filium Othonis, Saxorum Ducis, in Pontificem eligi curavit, sub nomine Gregorii V. A. 996. ejus etiam favore Sylvester II. post mortem Gregorii V. Thronum Apostolicum ascendit. Audiendus rei totius illustranda gratia Onaphrius Panvinus in vita Gregorii VII. in operibus Gregerianis novissimæ editionis Ratisbonensis tom. 6. p. 107. Satis autem constat (verba sunt ipsius) Joannem XIII. qui Leoni VIII. immediate successit, Gregorium V. & Sylvestrum II. Apostolicæ Sedi sola Imperatorum autoritate imposuisse, nullis Cleri, vel Populi Romani suffragiis expetitis. Ceteri vero Romani Pontifices, qui inter Joannem XIII. & Sylvestrum II. fuerunt, etsi eos electos fuisse ab Imperatoribus non legatur, sed à Clero, Senatu, Populoque Romano; id accidit, quod electionis tempore Imperatores Urbe absentes, adeo maximis in Germania, & alibi bellis impliciti essent, ut de novo Pontifice Romane Sedi providere non possent. Illud tamen constat, dum Imperatores, tres Othones loquor, in Urbe, aut certe in Italia fuerunt, & Romanam forte Ecclesiam Pastore vacare tum contigisset, eos novum Pontificem dedisse. Si vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul esse contigisset, certum est, tum Romanos Pontifices à Clero, Senatu, Populoque Romano electos, non absque Imperatorum consensu consecratos fuisse. Fuerunt autem Benedicti duo VI. & VII. Bonifacius VII. Apostolicæ Sedis invasor, qui etiam exactus fuit; & Joannes XIV. XV. XVI. quorum novissimus, ut quidam scribunt, quod sine Imperatoris Othonis III. consensu electus, & consecratus esset, Urbe fugatus, Sacerdotio multatus est, Gregorio V. subrogato. Systeმა electionis Romanorum Pontificum à Joanne XII. id est, ab A. 936. usque ad Sylvestrum II. seu ad A. 999. sub